tius tractata ſunt; latius alio tempore perſequar, cum peractis, quas mihi propoſui, peregrinationibus ex intervallo ad hanc materiam rediero. Interim tenuitatis meæ conſcius à bonis æquum expecto judicium; malorum invidiam minimè curo, neque illis aliud imprecor, quam ut pergant invidere bonis, certus, verum eſſe illud Alexandri Magni apud *Curtium lib.8.cap.12.* invidos homines nihil aliud eſſe quam ipſorum tormenta. Interea calumniis atque inſectationibus nihil reſpondeo. Quid enim ut *Socratis* apud *Plutarchum de puer. educat.* verbis utar: *εἴ με ὄνος ἐλάκτισεν, ἀντιλακτίσαι τοῦτῳ ἀξιώσαιτε ἄν. Si me aſinus calcitraret, recalcitrare ipſi autores n: eſſetis.*

CLARISSIMO

DOMINO

CUMMIO

MEDICINÆ DOCTORANDO,

Pro

LICENTIA

publicum ſpecimen eruditionis exhibenti,

FELICITER

adclamat

PRÆSES,

Guernerus Rolfincius D.

STat meta, & poſita eſt vincenti debita palma:
Sollemni currum carcere mitte tuum.
Non aberit fortuna: tenebis præmia victor:
Atque coronatis lætùs abibis equis.

Errata typographica irrepſiſſe nullum eſt dubium, ſed putamus ea ſtatim corrigi poſſe à B.L. Unius mentio facienda, *in litt. F.* in Veterum inſcriptionibus bis pro *obſtetrix* legendum eſſe *opſtetrix.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn356854698/86
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG